

THESIS XXVII.

*Praemissa notione timoris et attritionis conceptae ex metu gehennae, docemus 1) ineptum esse et absurdum arbitrari quod possit huiusmodi metus cohibere quidem a peccatis externis, non vero ab internis: 2) falsum prorsus esse quod ea attritio habeat necessario coniunctum motum aliquem voluntatis malum.*

I. Attritionis nomine generatim intellecta est in Scholis quaedam detestatio peccati imperfecta, quae nempe sola non iustificaret. Non uno tantum modo ea accipitur penes veteres, nec opus est eius omnes acceptiones diversas hic enumerare. Dedimus iam eas ex Toletio Th. XXIV. Certum est tamen quod detestatio peccati concepta ex motivo timoris poenarum, quas Deus minatur, vel ex motivo turpitudinis peccati, citra caritatem, comprehensa semper est sub communi notione attritionis et quod aetate proxime antevertente Tridentinam Synodum, haec erat communis acceptio nominis *attritio*, ut intelligeretur dolor et detestatio peccati concepta ex metu poenarum vel ex turpitudine peccati. Id liquet ex testimonio Lutheri ex Serm. 2. De Poenit. superius citato et Fischeri ac ipsius Conc. Tridentini Sess. XIV. cp. 4. Cum nunc quaestio praecipue sit de attritione ex timore concepta; eius notio primum accurate proponenda est, initio ducto a declaratione sui motivi.

II. Itaque timorem heic (cf. II. II. q. XIX. a. 2. cuius doctrinam tradimus) consideramus, qui respectum aliquem ad Deum habet, secundum quod nempe propter ipsum ad Deum convertimur, vel a Deo recedimus. Timoris obiectum est malum. Quod quidem malum est malum imminens, difficile evitabile, quod ideo non est in nostra potestate. In timore est odium mali, voluntas illud fugiendi et est trepidatio anxietas animi eo quod impendat nobis et difficile vitari possit. Quod praecipue spectatur heic est primum elementum: verum quia ambo simul sunt et ex his est timor, vocatur hoc totum timor. Iam vero quis potest ita timere malum, ut propter malum, quod subeundum ei esset ut iuste viveret, a Deo recedat et peccet. Potest rursus quis ita timere malum, ut propter malum quod timet, ad Deum convertatur. Et hoc dupliciter; malum enim est duplex, culpa et poenae. Potest proinde quis timere poenas, quas Deus peccatoribus minatur, iisque infligere potest; quo timore timetur Deus puniens. Obiectum huius timoris est malum: sed quia hoc malum ab aliqua persona infligendum est, ad ipsam personam se timor extendit prout ea est inductiva mali: quae proinde dicitur terminus

actus timoris huius. Ex hoc autem timore potest quis velle abstinere a causa inductiva poenae, quae est peccatum, et si in peccato est, potest velle detestari peccatum Deoque reconciliari; ita ut Deus puniens, qui est causa per poenas, quas minatur, timoris et terminus, qui sub hoc respectu timetur, sit etiam terminus conversionis hominis determinatae ab hoc timore.

Potest quis timere culpam, quae mala est prout est offensa Dei, quaeque est malum possibile nobis, quod propter nostram mutabilitatem potest apprehendi plus minus instans nobis et difficile vitabile. Terminus huius timoris, a quo nempe refugit animus timens, est offensa Dei, seu Deus offensus: atque hic timor sponte oritur vel ex amore iustitiae vel simili motivo, et speciatim ex amore Dei: qui enim Deum amat, odit eius offensam, eamque, si possibilis est, timet. Hic timor continet odium culpa, quod est ex amore quodam iustitiae vel Dei: prout vero refugit animus a malo culpa, quod sibi non solum possibile, sed plus minus aegre evitabile apparet propter tot tentationes propriamque infirmitatem et mutabilitatem, est proprie timor.

S. Thomas I. c. distinguit quadruplicem timorem, *mundanum, servilem, filialem, initialem*, *Mundanus* is est, quo propter mala, quae timet quis, a Deo recedit: *Servilis* est, cum convertimur ad Deum eique inhaeremus propter timorem poenae. *Filialis* est cum convertimur ad Deum, eique inhaeremus propter timorem culpa. *Initialis* est timor filialis imperfectus, qui nempe adiunctum habet quoque timorem servilem, quatenus scilicet, ut efficax sit in retrahendo homine a peccato, indiget auxilio quoque timoris servilis aa. 1. 8. « Timor initialis se habet ad filialem, sicut caritas imperfecta ad perfectam ». Quare hoc ultimum membrum non exhibet nisi subdivisionem quamdam tertii.

Iam vero ex his timor mundanus est semper malus (ibid.); oritur enim ex amore mundano, quo homo innititur mundo tanquam fini. Timor filialis et initialis, qui quoad essentiam ab eo non differt, est semper bonus; bonum est enim odium offensionis divinae, a quo oritur. Dicitur timor *filialis*, quia proprium est *filiorum* (qui tamen boni sint) culpam timere, non ratione poenae, sed eo ipso quod displicet patri.

III. Quaestio est de timore servili. Servilis dicitur, quia proprium est servorum refugere ab offensa domini propter timorem poenae. Porro timor servilis duplex distingui debet. Prior, quo poena timeatur ut summum malum, qui proinde timor oriatur ex amore sui, qui non sit referibilis in Deum, sed in ipso diligente sistat tanquam in ultimo fine cui. Alter est, quo poena timetur ut malum contra-



rium bono nostro, quod secundum ordinem rationis et fidei diligere possumus et debemus; cuius boni proinde amor est referibilis in Deum ut in ultimum finem cui. Prior timor opponitur caritati *contrarie*; contrariatur enim caritati, quod bonum nostrum et nos praeferramus bono divino et Deo, quod fit per huiusmodi timorem. Alter timor opponitur caritati *negative*, quatenus hic timor non est actus caritatis, et qui peccare refugit solum ex motivo timoris, nondum operatur ex caritate, ut filium decet. Hinc prior servilitas diversa est a posteriore. Prior enim in eo est posita, quod poena ut *summum* malum timeatur, et sic caritas positive excludatur; altera vero servilitas in eo est posita, quod timeatur malum nostrum, moveaturque animus ex amore sui, et sic non sit actus amoris erga Deum. Rursus prior servilitas est intrinsece mala, altera servilitas est carentia alicuius perfectionis, quae non est semper debita; non enim necesse est ut omnis actus bonus sit actus caritatis.

Cum poena timeatur ut summum malum, vel ut malum non summum, multiplex physice est actus timentis, licet plures physice actus ad unum moraliter constituendum concurrant. Est enim ille actus qui proprie est timor poenae, tum est iudicium mentis iudicantis hoc esse summum malum, vel malum non summum, atque tandem est amor sui vel inordinatus cum poena ut summum malum timeatur, vel ordinatus, si secus. Si haec actuum sylloge spectetur, sive si consideretur actus moraliter unus, negandum est quod actus, quo timeatur poena veluti summum malum, possit amittere servilitatem suam et evadere bonus; ea enim servilitas est elementum essenziale illius integri actus (Suarez loco inf. cit.). Si vero solus actus timoris consideretur, potest ipse amittere servilitatem suam idem manens; potest enim timor poenae manere, deficiente illo inordinato amore sui perversoque iudicio: id porro est quod s. Thomas II.<sup>o</sup> II.<sup>o</sup> q. XIX. a. 4. ait, servilitatem, qua poena ut summum malum timeatur, separari posse a timore poenae. Reliqua erit quaestio an in concreto idem actus numero timoris possit manere, exuta ea servilitate, an solum ratio generica timoris; qua de re postea.

Ex dictis liquet integrum actum prioris timoris esse intrinsece malum: timorem vero poenae per se et integrum actum alterius timoris, quo ex ordinato amore sui poena timeatur, esse ex se bonum. Sane huiusmodi timor intenditur a lege vindicativa, quae ideo minatur poenas, ut timeantur: est timor secundum rationem, quae sicut docet abhorre a malo, ita et illud timere: et quemadmodum bonum est desiderare et sperare bonum, ita bonum est timere oppositum, et praesertim malum aeternum. Cf. Suarez De Spe Disp. I. Sect. 4. De Valentia in II.<sup>o</sup> II.<sup>o</sup> q. XIX.

Seposito itaque priore timore servili malo, alter est, de quo loquimur, cum defendimus detestationem peccati conceptam ex timore poenae.

Itaque motivum attritionis est timor poenae, speciatim gehennae, est vero timor ordinatus, nempe ortus ex amore suae incolumitatis non tanquam finis ultimi, sed tanquam rei referibilis ultimo in Deum ut finem ultimum, per caritatem; timor proinde, qui caritati non contrariatur, sed cum ea esse potest, sicut potest esse amor Dei cum amore sui illi subordinato.

IV. Obiectum huius attritionis non est poena, sed peccatum. Poena quidem obiectum est timoris: timor autem non est attritio, sed motivum attritionis. Detestatur ergo homo peccatum h. e. offensam Dei; et quamvis ea non sit motivum detestationis, est tamen obiectum: hoc enim est quod displicet, id nempe quod est inductivum poenae, hoc vero est peccatum sive offensa Dei. Atque id est quod requiritur in quavis detestatione salutari, ut iam monuimus Th. IV.

Peccatum vero, quod est obiectum attritionis non est tantum peccatum praeteritum, quod nollet homo commisisse, sed et peccatum quodvis possibile in posterum, quod proponit efficaciter cavere: propositum enim est elementum essenziale contritionis, ideoque et imperfectae. Iam vero propositum non amplius peccandi est propositum servandae legis divinae, in qua praeter alia est quoque praeceptum diligendi Deum. At propositum faciendi quod Deus vult, propositum diligendi Deum est dispositio animi ad amorem formalem, sive est huiusmodi amor in praeparatione animi.

V. Conditio huius attritionis salutaris est ut sit cum spe veniae. Est enim attritio medium, quo se homo praeparat ad reconciliationem cum Deo, quam intendit et sperat. Spes vero reconciliationis et veniae est etiam spes consequendi finis, cuius reconciliatio est medium: spes autem finis, qui est possessio Dei, continet saltem virtualiter amorem Dei boni nobis; qui amor per se referibilis est ultimo in amorem gratuitum Dei.

VI. Itaque cum ex hoc motivo detestatio peccati concipitur, iam *virtualiter*, ut ait Valentia in III. p. D. VII. q. 8. p. 4. est detestatio propter Deum offensum seu continet amorem Dei *in praeparatione animi*. Patet ex dictis nn. praecedentibus. Sane cum ille amor sui et timor poenae ex eo ortus sit per se subordinatus et referibilis in Deum, iam eo existente timore et amore, existit quoddam initium licet extrinsecum, sive introductio ad amorem Dei: ideoque eo amore sui et timore poenae existente, adest actu dispositio quaedam ad amorem Dei. Idcirco cum ex motivo timoris praedicto concipitur



dolor, non ea est animi actualis dispositio, quae sic exprimi possit: *si infernus non esset, vellem peccare*; qui enim ita est animo comparatus, ipse malum suum praefert malo Dei, sive amorem sui amori Dei, h. e. se ipsum Deo: scilicet timor, ex quo haec detestatio oritur, est ille timor serviliter servilis, quo poena ut summum malum timetur, quem intrinsece malum esse diximus. Est ergo actus malus ille, qui in hoc obiectum feratur et hanc voluntatem contineat: *si infernus non esset, peccare vellem*; ponit enim homo finem ultimum cui in se ipso excludens positive Deum. Quemadmodum etiam malus est actus, qui in hoc obiectum feratur atque hanc voluntatem contineat: *si non esset beatitudo, nollem servire Deo, seu vellem peccare*; eo enim rursus detrahitur positive Deo ratio finis ultimi cui, poniturque in creatura, quod perversum est.

Advertendum est tamen quod dupliciter accipi potest haec propositio: *Si non esset infernus, quem timerem, vel paradus, quem sperarem, vellem peccare*. Nimirum 1) ita ut ea conditio sit extrinseca actui detestationis, atque ea propositione significetur tantum quid absolute faceret aliquis, si existeret alius ordo rerum, in quo nec paradus esset nec infernus. 2) Potest accipi ita ut conditio ea sit intrinseca actui, qui idcirco sit ipse intrinsece conditionatus, h. e. sit talis voluntas, quae actualiter detestatur tantum peccatum ratione poenae, servans amorem adhuc erga ipsum per se spectatum. Si priore modo accipiatur ea propositio conditionata, quam quisquis, sicut de aliis, ita et de se ipso enunciare potest; cum obiectum eius sit abstractum et tantum possibile, sitque actus intellectus tantum iudicantis de aliqua re possibili sub quadam conditione, non actus voluntatis, quae in illud obiectum feratur; ea non arguit per se aliquam malam voluntatem praesentem in eo quoque, qui de se ipso eam proferret. At accepta ea propositio secundo modo significat malum motum praesentem voluntatis, quae retinet adhuc affectum ad peccatum finemque ultimum in se ipsa constituit. Porro hoc altero modo ea propositio accipitur, cum dicitur mala esse ea detestatio peccati, quae ita exprimi possit: *si non esset infernus, vellem peccare*.

Cum igitur detestatio peccati, de qua agimus, non oriatur ex eo timore, quo poena ut summum malum timetur, sed ex timore ordinato referibili in Deum: qui autem ita detestatur peccatum, iam implicite praeponat bonum Dei bono suo; qui vero id facit, iam sit ita animo comparatus, ut potius velit detestari peccatum prout offensa Dei est quam prout inductivum est poenae: ergo rursus qui ex timore ordinato detestatur peccatum, iam habet in praeparatione animi detestationem peccati eo quod est offensa Dei. Huc facit doctrina s. Thomae ibid. a. 8. ad 1. « Timor, qui est initium dilectionis, est timor

servilis, qui introducit caritatem ut seta linum, ut Augustinus dicit in Epist. 1. Joann. Tract. 9. »

Itaque qui atteritur ex timore gehennae, quamvis adhuc careat formali amore Dei benevolo, multiplex tamen ex capite habet in praeparatione animi et virtualiter huiusmodi amorem.

VII. Porro haec est notio illius attritionis, quam sufficientem defendimus in Sacramento Poenitentiae. Adverte cum Suarez De Poenit. D. V. Sect. 2. quod timor poenae potest se habere dupliciter ad contritionem, primo ut occasio, qua excitetur homo ad accipiendum aliquem dolorem, et sic dolor, qui consequitur, potest esse dolor quoque perfectus caritate, ad quem tandem deducatur homo. Secundo timor peccati potest esse motivum, et sub hoc respectu a nobis hactenus consideratus fuit: contritio vero determinata ab hoc motivo est imperfecta et attritio dicitur.

Quod de timore gehennae speciatim diximus, id et ad timorem poenarum temporalium, quas Deus peccatori minatur et infligit, extendi debet, quem detestatio peccati pariter consequi potest. Utrum vero haec detestatio sufficiat in Sacramento declarabimus post demonstratam sufficientiam detestationis ex timore aeternae poenae.

VIII. Qui negabant sufficientiam attritionis (Contritionistae dicebantur), eam ex hoc capite primum impugnabant, quod ille actus haberet necessario coniunctum aliquem actum sive affectum voluntatis malum, quod perinde est ac dicere, illum actum esse malum; nequit enim esse bonus actus, qui necessario coniunctus est actui malo. Sententia eorum quoad hanc partem huc redit, timorem gehennae solum coercere a peccatis externis eiusque timoris vi, si solus sit, esse in voluntate affectum actualem ad peccatum; servilitas enim timoris « est mentis vilitas, qua solent servi non ex animo et bona voluntate, sed subdole servire suis dominis et coacti, » est « intima et secreta animi praeparatio, qua homo servili gehennae metu frenatus mallet esse licitum, quod dolet esse vetitum »: haec porro latens cupiditas est peccatum eo quod « gehennae metus ex proprio sui ipsius amore nascatur, ideoque qui ob illam solam et non Christum Dominum a gravi peccato abstinere, non solummodo plus illam timet, sed et se ipsum supra Dominum diligit, quod est etiam cogitatu horrendum ». Ita Christianus Lupus in Dissert. Dog. circa Contritionem et Attritionem cc. 12. 14. Praeiverat Iansenius (hac quidem in re non damnatus) rationem huius rei reddens De Gratia Christi c. 29. eo quod quae fiunt ex metu sunt involuntaria secundum se spectata: quare qui ex metu gehennae detestatur peccatum « huiusmodi voluntatis actum coniunctum habet, nollem hoc facere, vel nollem abstinere, nisi mali impendentis metu cogerer ». Atque hunc praeverterat Lutherus, qui



docuerat per hanc attritionem hominem fieri hypocritam; quia nimirum tantum ab externis peccatis abstinet, et magis peccatorem; quia nempe novum additur peccatum. Cf. testimonia eius superius citata.

Liquet ex relatis rationibus adversariorum, impugnationem eorum falso inniti supposito et extra quaestionis campum prorsus vagari. Supponunt enim attritionem eam, quam defendunt Theologi dicti *Attritionistae*, concipi ex eo timore servili, qui dicitur serviliter servilis, quem nos reiecimus. Unde expedita esse posset nostra responsio; haec omnia ad rem non facere. Verum quia quaestio huc tandem redit, an scilicet possit esse aliquis poenae timor et detestatio peccati ex eo concepta, quacum nullus inordinatus actus voluntatis necessario cohaereat; id data opera est nobis modo demonstrandum, ut liqueat notionem attritionis superius exhibitam non chimericam esse sed realem.

IX. Dicimus 1.<sup>o</sup> Ineptum est et prorsus absurdum affirmare quidem timorem gehennae cohibere posse hominem a peccatis externis, negare tamen cohibere eundem posse a peccatis internis. Satius enim foret utrumque negare, quod minus esset illogicum; affirmatio enim prioris et negatio posterioris apertam implicat contradictionem. Sane potest quidem esse aliquis timor poenae, qui solum ab actibus externis refrenet, sed hic est timor poenae, quae propter actus externos tantum infligitur et quam homo comminatur, qui solos actus externos cognoscit et iudicat. At si princeps comminans poenam videat quoque actus internos, cuiusmodi est Deus, eosque non secus ac externos imo praecipue prohibeat et propter eos poenam comminetur, si timor poenae aliquid facit, necesse est ut cohibeat hominem a peccatis internis; propter haec enim poena ea, quae timetur, est statuta et sine illis poena ea non incurritur. Neque timor poenae a iudice humano infligendae ideo cohibet tantum a flagitiis externis, quia per se timor ea tantum impedire possit; sed quia per ea solum poena incurrenda est: illud vero, a quo cohibet voluntatem timor poenae, est id, quod est poenae inductivum et est tamen in potestate voluntatis. Cum ergo haec ratio valeat quoque pro actibus internis, quos fide credimus sciri et puniri a Deo, si timor poenae divinae retrahit a peccato, retrahet etiam a peccato interno, sine quo nullum est peccatum punibile a Deo. Sicut ergo fieri non potest ut credam Trinitatem propter auctoritatem Dei revelantis et negem Incarnationem, quam concedo pariter esse a Deo revelatam: ita fieri nequit ut odio habeam peccatum externum quia punibile a Deo, et non habeam internum, quod scio quoque puniri a Deo. Vel ergo conceditur timorem poenae divinae efficaciam habere ad cohibendum hominem a peccato aliquo, vel negatur:

si negatur, cur dicitur iste timor posse cohibere a peccatis externis? si conceditur, dandum est quoque quod possit cohibere a peccatis internis; haec enim sunt peccata, quibus ea poena est debita et sine quibus ea nequit infligi. Dices hanc cohibitionem a peccatis externis contingere posse ex eo, quod quis sperat Deum secum mitius acturum, eumque benignius laturum, si a peccatis externis praesertim gravioribus abstineat, quemadmodum videntur se gessisse ii, de quibus Augustinus loquitur in Psalmum CXLIX. Verum id et a peccatis internis, propter quae magis ira Dei timeatur, cohibere potest et debet; neque hos retrahit a peccato timor inferni solum, sed timor maioris irae Dei et quaedam spes benignioris vindictae divinae.

Imo haec cohibitio a solo actu externo propter timorem poenae, quam novimus deberi etiam solis peccatis internis, erit frequenter contra leges morales agendi humanae naturae. Tunc enim e. g. homo, qui homicidium cogitaret, fovendo hanc voluntatem animo, periculo aeternae poenae se scienter exponeret, at nihilominus privaret se eo unico bono, quod in occisione alterius se consequi arbitratur: peccaret igitur, gravisque mali periculo se exponeret absque ullo suo emolumento vel apprehenso; hoc autem est contra naturalem modum agendi voluntatis.

Ista tamen est profunda doctrina, quam ab Augustino se accepisse hi Theologi gloriantur, quam autem immerito hanc iniuriam s. Doctori inferant, etsi iam ex se patere possit, dicemus postea. Est certe tamen haec doctrina a S. Sede in Quesnellio damnata prop. 61. « Timor non nisi manum cohibet, cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore iustitiae non ducitur ».

X. Dicimus 2.<sup>o</sup> Contritio ex timore poenae aeternae concepta non est actus necessario sive ex natura sua coniunctus cum aliquo malo motu voluntatis. Advertendum est autem quod defendimus. Nimirum non eo ipso quod existit in animo timor poenae, exstat quoque detestatio peccati. Potest imo esse timor poenae simul cum actu peccati, quo fit ut peccatores, licet peccare simpliciter velint, cum quadam tamen repugnantia animi peccent, scientes peccatum suum puniendum inferno. Potest etiam esse timor adhuc inefficax, ut quamvis sit velleitas non peccandi, non sit tamen voluntas. Potest timor esse huiusmodi, ut iam monuimus, qui retrahat tantum a peccatis externis, vel melius, a peccatis gravioribus, quibus maior aut citior vindicta divina timeatur. Nos autem loquimur de eo quod esse potest, dicimusque talem posse ex timore aeternae poenae concipi detestationem peccati, quae non includat aliquem motum vel affectum malum interiorem voluntatis; ideoque sit simpliciter honesta. Et quia huiusmodi affectus malus, qui secundum quosdam



inhaeret necessario attritioni ex puro metu conceptae, est amor rei prohibitae et odium legis punientis, hunc affectum negamus ex natura sua cohaerere cum detestatione peccati concepta ex metu sine actu amoris. Quaestio est de ipso actu attritionis, de eo quod in ipso includitur, quod ab ipso infertur seu quod cum eo necessario cohaeret: quaeritur utrum actus sit bonus, non utrum subiectum eum eliciens sit bonum, potest enim esse ex alio capite malum, ut si sit peccator. Quod defendimus, probamus argumentis tum extrinsecis tum intrinsecis.

a) Sane ii quoque Theologi, qui negant attritionem huiusmodi in Sacramento sufficere, concedunt tamen et docent poenitentiam seu conversionem peccatoris incipere ordinarie a timore ita, ut cum existit timor, nondum sit caritas; atqui in hypothesi, quam impugnamus, poenitentia esset exordienda a peccato; cum peccato enim necessario cohaeret ille timor et detestatio peccati ex eo solo timore concepta. Est ne haec poenitentia, ad quam Scriptura etiam per timorem incussum provocat peccatores? Cur Concilium Tridentinum vocat eam bonum motum et Spiritus S. impulsum Dei donum, utilemque esse dolorem docet? Sess. XIV. cp. 4. cp. 5.

b) Praeterea si cum huiusmodi timore nexus necessario est affectus ad peccatum, novum fit peccatum quotiescumque homo ex eo timore atteritur, et idcirco homo fit magis peccator; nam fieri magis peccatorem, est peccatis praecedentibus peccata addere: id porro damnavit diserte Tridentina Synodus contra Lutherum ibidem.

c) Rursus homo ex timore tantum attritus abstinens exterius a peccato esset hypocrita, eoque sensu, quo vocavit eum hypocritam Lutherus Serm. De Poenit. « Haec contritio facit hypocritam, quia solum timore praeepti, et dolore damni id faciunt... et si libere deberent confiteri, certe dicerent sibi non displicere vitam praeteritam ». Et in assert. art. 6. « Quod ex corde non fit, iam hypocrisis est: at contritio per peccatorum collectionem parata sine amore Dei et iustitiae, h. e. sine corde conterit; quare necessario sequitur facere hypocritam, quia nec volenter nec amanter conterit in corde suo. Ego enim hypocritam aliter definire non possum, quam eum, qui id, quod facit, non ex animo et sincero corde facit ». Atqui id quoque damnatum est a Tridentinis Patribus ibidem. Ergo.

d) Argumentum intrinsecum hoc est. Ex timore alicuius mali potest homo nolle efficaciter illud, quod est causa certa illius mali; id enim est in natura positum liberae voluntatis, quod ex volitione finis possit efficaciter determinare se ad volitionem mediorum et vicissim, quod perinde est, ex nolitione mali possit se efficaciter determinare ad nolitionem eorum, quae sunt causa eius mali. Potest

nempe timor mali, quod nolumus subire, determinare voluntatem ad non agendum id, quod ad illud adducit, neque aliud requiritur ad hoc ut abstineamus ab eo, quod est causa poenae, quam quod vere nolumus subire poenam, illudque, h. e. causa, sit in nostra potestate. Iam vero causa poenae aeternae est peccatum grave, ideoque peccatum quoque interius et affectus actualis ad peccatum et odium actuale legis: haec autem sunt in nostra potestate, secus peccata actualia non forent; ergo cum sciat homo haec esse peccata iisque poenam aeternam deberi, hancque vitare velit, et ab iis se abstinere possit: si reapse vult poenam effugere, nequit cum ea voluntate consistere aliquis ex his actibus, qui sint peccata.

XI. Perperam vero producitur heic axioma illud, quod est praecipuum argumentum adversariorum: *ea, quae fiunt ex metu, sunt voluntaria simpliciter, involuntaria secundum quid*. Nam, ut ex verbis ipsis patet, *quae fiunt*, refertur huiusmodi axioma ad actus imperatos, quos per se voluntas nollet, sed in certis adiunctis ad maius malum vitandum vult, quique poni possunt, manente in voluntate etiam actuali propensione ad oppositum, quae finis consecutionem sive mali impendentis fugam non impedit. Unde quod fit, dicitur *involuntarium secundum quid*. At falsum est axioma, si transferatur ad actus ipsos elicitos voluntatis, quibus ipsa malum, quod timet, comparare sibi potest.

Si enim voluntas reapse timet infernum et non vult illum mereri, atque adeo non vult peccare, nequit retinere affectum actuale ad peccatum, qui iam peccatum esset et impediret evitacionem mali, quae intenditur. Hoc est ergo proprium timoris mali, quod infligitur a Deo quodque infligitur propter ipsos actus voluntatis, ut voluntas efficax vitandi illud malum excludat ab animo quemvis affectum vehementer malum. Idcirco quod agitur ex huiusmodi metu, non est involuntarium secundum quid, sed est prorsus voluntarium. Eademque efficaciam agit in voluntate hic timor mali, ac agit desiderium boni. Quare dici quidem poterit quod, nisi fuisset timor, forte voluntas heic et nunc non esset detestata peccatum, sed hoc est commune ceteris aliis motivis, spei etiam et amoris, idque tantum nos docet quod voluntas ad agendum aliquo indiget motivo, quo determinetur ad actum. At existente eo timore et voluntate vitandi infernum, homo nequit simul aliquid velle, quod cum hac voluntate intrinsece pugnat, malumque vitandum inducit.

XII. Itaque ut breviter omnia contrahamus, timor poenae et voluntas eam evitandi non est necesse ut sint inordinati, orti nempe ex amore inordinato sui, quo quis se magis diligat quam Deum, poenamque timeat ut summum malum; sed potest esse timor et vo-



luntas ordinata, orta ex amore ordinato sui, qui referibilis est in Deum. Hic timor poenae et amor sui ordinatus efficax esse potest ad inducendam voluntatem ad refugiendum ab eo, quod causa esset mali sibi; quod enim universim dicitur de voluntate consequendi alicuius finis aut vitandi alicuius mali, quod possit efficaciter determinare voluntatem ad usum mediōrum, id de hoc timore et horrore dicendum est. At timor et amor ordinatus, qui est referibilis in Deum, non excludit positive amorem Dei, cum quo e contrario coniungi potest; non ergo ex se includit aut est necessario coniunctus cum odio legis aut legislatoris, vel cum affectu ad offensam Dei. Ergo potest esse attritio ex timore gehennae secreta a quovis motu malo voluntatis.

XIII. Haec est doctrina Augustini in Psalm. CXXXVII. n. 8. « Ille timor nondum castus praesentiam (Dei iudicantis) et poenas timet: timore facit quidquid boni facit, non timore amittendi bonum illud, sed timore patiendi illud malum: non timet ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi (innuitur heic amor Dei boni nobis, quem distinguimus ab amore simplici beatitudinis), sed timet ne mittatur in gehennam. Bonus est et iste timor, utilis est ». De Gratia et lib. arb. c. 18: « Cavere debemus ne nos arbitremur non accepisse Spiritum timoris Dei, quod sine dubio magnum est Dei Bonum, de quo dicit Propheta Isaias: Requiescet super eum Spiritus timoris Domini, non quo timore Petrus Christum negavit, sed illius timoris Spiritum accepimus, de quo dicit ipse Christus: Eum timete, qui habet potestatem et animam et corpus perdere in gehennam: ita dico vobis: hunc timete ».

Id tandem definitum est proscriptis his propositionibus ab Alexandro VIII. Attritio, quae gehennae et poenarum metu concipitur sine dilectione benevolentiae Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis. — Intentio, qua quis detestatur malum et prosequitur bonum mere ut caelestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.

Ex Augustino quidem plura congeruntur testimonia (Iansenius De Gratia Christi L. V. cc. 28. 32.) ad demonstrandum quod timor servilis, de quo agimus, cohibet tantum ab opere externo, adiunctumque semper habet actum interiorem malum voluntatis. Verum argumenta haec commodius solvemus post sequentem Thesim.

THESIS XXVIII.

*Attritio ex timore gehennae concepta talis esse potest, ut voluntatem peccandi positive excludat.*

I. Ait Suarez D. XX. Sect. 2. « Concilium Trid. expresse requirit attritionem, quae voluntatem peccandi excludat, non *negative* tantum per solam cessationem a tali voluntate; hoc enim modo quaelibet cogitatio alterius rei voluntatem peccandi excludit, sed *positive* per formalem aut virtualemente repugnantiam veramque mutationem voluntatis dissentientis peccato et consentientis gratiae Dei. Haec autem dispositio non habetur sine efficaci detestatione et absoluto proposito non peccandi ». Idem repetit Sect. 4. « Concilium dicit talem esse necessarium dolorem, qui voluntatem peccandi excludat id est cum quo voluntas peccandi simul esse repugnet: alioqui quamvis contingeret hominem habere dolorem et non habere actualem voluntatem peccandi, si tam dolor talis non est, ut ex se non repugnet simul esse cum tali voluntate, re vera non est dolor, qui excludit illam voluntatem, sed aliunde contingit illa carere ». Brevius superius Sect. 2. dixerat excludere voluntatem peccandi perinde esse ac includere formaliter vel virtualiter propositum absolutum non peccandi.

Itaque exclusio positiva actus peccandi per attritionem non est posita in eo tantum, quod attritio ex metu gehennae concepta sit actus bonus, nulli sit malo actui coniuncta, quae est exclusio negativa, quam probavimus Thesi praeced., neque est tantum in eo posita quod desit reapse voluntas actualis peccandi; sed in eo est quod cum tali detestatione peccati repugnet voluntas peccandi ita ut, manente ea dispositione voluntatis per attritionem effecta, impossibilis sit voluntas peccandi, sed necesse sit exsistere propositum formale vel virtuale non amplius peccandi.

Quaestio non est utrum quaelibet attritio sive detestatio peccati ex metu gehennae voluntatem peccandi positive excludat; potest enim esse aliqua attritio incompleta inefficax, quae sit potius velleitas quam voluntas, idque supponi videtur a Concilio Tridentino, qui hypothetice loquitur: *si voluntatem peccandi excludat*: sed quaestio est utrum reapse detur aliqua attritio, quaecumque repugnet voluntas peccandi; si enim haec datur, hanc dicimus esse sufficientem pro Sacramento. Quemadmodum ut verum sit contritionem ex amore esse iustificantem et, secundum adversarios, necessariam et sufficientem pro Sacramento, non est necesse ut contritio ex quo-